

sicut peccatum veniale, aut dubium leve; alias vix aliquis daretur bonæ fidei possessor. Ad impediendam ergo præscriptionem exigitur peccatum grave in dubitatione: ut cum dubitans prudenter rem esse Petri, ab eo illam accipit. Dubium autem grave superveniens possessioni bona fide inchoatæ, ad illud repellendum obligat, adhibita morali diligentia. Si adhuc persistat, probabilius impedit præscriptionem, & obligat dubitantem ad restituendum pro rata, quia sic dubitans non est amplius in bona fide, quod res sit sua, cum de hoc graviter dubitet, maxime si adversæ rationes sint probabiliores.

88. Tertia conditio est *titulus*, sive verus, sive præsumptus, quia sine aliquo titulo non potuit res ab initio bona fide possideri. Est enim *titulus motuum seu causa, cur talis rei acquiratur dominium*. Sufficit autem titulus coloratus, aut prudenter putatus verus: ut si bona fide emas rem ab eo, quem putabas esse verum dominum: quo in casu, esto ita non sit, tibi prodest titulus emptionis ad præscriptionem ordinariam. Eiusmodi titulus non requiritur ad præscriptionem longissimi temporis: quia in tanto decursu potest titulus, vel oblivisci, vel deperdi. Quarta conditio est *possessio civilis*: quia sine possessione præscriptio non procedit; imo possessio hinc dicitur civilis, quia causat effectum civilem possessionis.

89. Inq. 3. An salvetur bona fides requisita ad præscriptionem cum ignorantia juris, vel facti? R. ignorantiam, etiam invincibilem, juris certi impedire omnem præscriptionem: quia *numquam in usurpationibus juris error possessoribus prodest*. ex I. *Numquam* 31. ff. de usurpationibus. Ignorantia vero facti non impedit præscriptionem: quia fere numquam potest dari præscriptio absque ignorantia facti. Nec ignorantia juris dubii ei obest, quando adsunt possessori rationes probabiliores. Si fundamenta dubii æqualia sint, officit præscriptioni, & debet res dividi.

90. Inq. 4. An mala fides possessoris antecedentis noceat successoribus bonæ fidei ad præscriptionem? R. quod successoribus immediato ratione hæreditatis noceat ad

præscriptionem ordinariam: quia refert personam defuncti, vel eadem persona reputatur cum eo. Non tamen noceat ei ad præscriptionem extraordinariam longioris temporis: quia ad hanc nullus requiritur titulus, nisi ipsum tempus. Neque ei officit ad fructus rei præscribendos, etiam tempore ordinario. Nec similiter noceat hæredi mediato possessoris, cum non eadem reputetur persona. Nec tandem noceat successoribus ob titulum emptionis, legati, aut alterius similis propter eandem rationem. Si tamen res sit furtiva, aut immobilis, requiritur tempus extraordinarium ad ejus præscriptionem in successore immediato; secus in successore successoris immediati, seu in successore mediato.

91. Conditio 5. ad præscriptionem requisita est *tempus*. Igitur ad præscriptionem ordinariam rerum immobilium requiruntur decem anni inter præsentem, & viginti inter absentes. Ad præscriptionem rerum mobilium tres anni sufficiunt inter præsentem, & quatuor inter absentes. Contra Romanam Ecclesiam nulla datur præscriptio, nisi post tempus centum annorum. Contra alias Ecclesias, hospitalia, & causas pias triginta anni inter præsentem, & quadraginta inter absentes requiruntur.

92. Tempus hoc oportet esse non interruptum; interruptum autem, vel naturaliter, quia deficit titulus, bona fides, aut possessio, vel civiliter, per litis contestationem, citationem, aut quid simile, vel etiam per dormitionem, quando ob aliquod impedimentum currere cessat tempus præscriptionis: ut ratione belli, pestis, quo tempore tribunalia silere solent. Similiter quoties legitimo defensore bona carent, ut Episcopo, aut rectore respectu Ecclesiarum, curatore, aut patre respectu minorum, & filiorum, dormit præscriptio.

93. Contra pupillos in ætate pupillari nulla datur præscriptio. Contra minores tempus triginta annorum inter præsentem, & quadraginta inter absentes necessarium est. Bona civitatibus legata, donata, aut vendita centum annorum spatium requirunt, ut præscribantur. Præsentem dicitur, qui in eodem territorio degunt; absentes; qui alibi vivunt. Igitur præscrip-

criptio legitima dictis conditionibus munita deservit probabilis pro utroque foro interno, & externo. Sed quia definiere quando vere adsunt præfata conditiones, plus attinet ad juristas, ideo nobis, hæc de præscriptione levi calamo delibasse sufficiat.

CAPUT III.

De furto.

PUNCTUM I.

Definitio, & divisio furti.

94. Inq. 1. Quid sit furtum? R. est *acceptio occulta rei alienæ invito domino rationabiliter*. Dicitur *acceptio* ad innuendam quamcumque usurpationem, aut retentionem adversus justitiam, seu jus alterius, in quo furtum convenit cum aliis injuriis proximi. Additur *occulta*, per quod secernitur a rapina, quia hæc in præsentia, illud in occulto perpetratur. Fur enim a furto dicitur; eo quod fur præcipue noctis utitur tempore. *Rei alienæ*, per hanc particulam differt furtum ab aliis injuriis contra proximum. Nam homicidium aufert vitam; mutilatio membrum; contumelia honorem; detractio famam; stuprum virginitatem; adulterium lædit thalamum; furtum vero externa bona surripit. Nomine autem *rei* comprehenditur etiam usus, aut possessio. Denique additur, *invito domino rationabiliter*, ad denotandum, quod tunc solum datur furtum, quando accipitur res aliena, juste repugnante domino. Furtum igitur ex genere suo est peccatum mortale prohibitum in septimo Decalogi præcepto. *Exod. 20. Non furtum facies*, & in decimo, *Non desiderabis domum proximi tui*. D. Thom. 2. 2. q. 66.

95. Quatuor species furti assignant juriste, nempe *peculatum*, quod est furtum de rebus reipublicæ; *plagiatum*, seu *plagium*, quod est furtum hominis liberi scienter venditi, aut empti, *sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, & *abigeatum*, quod est furtum pecorum, aut jumentorum. Verum a Theologis solum dividitur furtum in sacrilegium, & rapinam. Sacrilegium adest quoties aufer-

tur sacrum de sacro; non sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro, ut diximus agentes de sacrilegio.

96. Inq. 2. Quid sit rapina? R. est *alatio violenta rei alienæ*. Differt specie a furto propter involuntarium, quod per rapinam irrogatur proximo; quæ ratione est majus peccatum quam furtum; sicut contumelia est gravior quam detractio ob eandem rationem involuntarii reperi in contumelia. Tam rapina, quam furtum sunt contra justitiam commutativam; sed in rapina adest duplex malitia specie distincta, quia eripit bona, & injuriat personam. D. Th. 4. 4.

97. Inq. 3. An furtum sit intrinsece malum? R. furtum manendo in ratione furti est intrinsece malum, sicut homicidium in ratione homicidii. Verum potest Deus facere, quod acceptio rei alienæ non sit furtum, transferendo rerum dominium de uno in alium, uti fecit bonorum Ægyptiorum, quorum dominium trastulit ad filios Israel. Potest etiam excusari a peccato ex triplici capite. Primo, ob necessitatem extremam. Secundo, ob voluntatem interpretativam domini. Tertio, ob parvitatem materiæ. Primum caput ab omni culpa, duo posteriora saltem a gravi excusant. Circa primum, ajunt plures, posse in extrema necessitate subripi etiam magna summa pecuniæ, ut sex mille aureorum; & revera si necessarij supponantur pro evadenda dicta necessitate, ubi omnia sunt commutabilia, nequit improbari subreptio, saltem dum dominus non constitueretur in eadem necessitate. Circa secundum vide casum positum *tract. 9. n. 284.* quem admittit etiam *Concinea tom. 2. pag. 120. n. xi.* D. Thom. a. 5.

PUNCTUM II.

De parvitate materiæ in furto.

98. Inq. 1. Quæ dicenda sit parva, aut magna materia in furto? R. illam dici absolute parvam, quæ ex se leve nocuum infert proximo; illam vero dici magnam, quæ grave nocuum eidem causare valet, licet de factis non causet. Unde unus obolus respectu oponium reputatur levis, unus vero aureus ju-

judicatur gravis esto a Rege accipiatur; quia licet non inferat notabile damnum, aufert tamen notabile bonum. Datur tamen materia respectiva ad locum, ad tempus, & ad personas: nam quod hic, & nunc minus valet, potest in alio loco, & tempore plus valere; & quod est materia levis respectu divitis, potest gravis esse respectu pauperis.

99. Nec est sufficiens distinctio quatuor statuum personarum, quam aliqui designant ad declarandam materiam respectivam. Primus eorum, qui splendide vivunt, ut magnates opulenti. Secundus eorum, qui suis redditibus vitam degunt non adeo splendide, ut cives mediocriter divites. Tertius artificum, qui suo se sustentant labore. Quartus denique pauperum mendicantium. Hæc inquam distinctio, licet præ oculis habenda sit, non tamen sufficit; quia in quolibet statu est magnum discrimen opulentiae, & paupertatis. Ideo nulla aptior regula assignari valet ad discernendum furtum esse grave, nisi quando materia ablata sufficeret ad congruum unius diei alimentum personæ, cui aufertur; victus enim unius diei juxta commune judicium est quid notabile: unde regulariter quatuor regales in Castella reputatur materia gravis respectu hominis ordinarii, at etiam duo regales respectu pauperis judicatur gravis materia.

100. Nota, quod aliud est loqui de furto intrinsece, & in ratione furti, aliud de furto in ratione damni ab extrinseco, & per accidens: nam quod est leve in ratione furti, potest esse grave in ratione damni, ut si auferas a sartore acum, vel scribas calameum, sine quibus nequeunt laborare, nec comparare victum per integram diem, committis peccatum grave ratione nocenti notabilis ab extrinseco secuti. Verum si lata esset excommunicatio contra furantes, aut furtum esset reservatum, nec ex communicationem, nec reservationem incurres, quia furtum grave in ratione furti non committis. D. Thom. a. 6. ad 3.

PUNCTUM III.

De furtis minutis.

101. Inq. 1. Quot modis possit accidere furta minuta? R. tripliciter posse contingere. Vel quando unus solus surripit paulatim ab uno solo: vel quando unus solus aufert a pluribus, vel quando plures auferunt ab uno solo. Nota primo, quod major quantitas requiritur ad peccatum mortale in furtis parvis successivis, quam in unico furto: quia non adeo nocet damnum divisum, quam simul inflictum. Quænam vero sit mensura istius majoris quantitatis, certo nequit definiti, sed ex circumstantiis spectanda est.

102. Nota 2. quod furtum rei ex se levis potest esse peccatum grave ex sex capitibus. 1. ratione nocenti, ut diximus de furante acum a sartore. 2. ratione scandali, ut si prævides, quod dominus ob furtum leve sit blasphematurus, aut aliud crimen grave commissurus. 3. ratione gravis moeroris, quem prævides a domino concipiendum, ob specialem affectum ad rem furatam. 4. ratione violentiæ, ut si rem parvam cum notabili violentia surripias. 5. ratione finis, ut si auferas quid leve ad grave crimen perpetrandum. 6. ratione intentionis, ut si rem parvam accipias animo prosequendi usque ad magnam quantitatem. Unde qui modica aufert prædicto animo, peccat graviter, & cum ad magnam quantitatem pervenerit, debet eam restituere, ut patet ex propos. 38. damnata ab Innocentio. XI. *Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod oblatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Justissime propositio hæc præscripta fuit; aperiebat enim spatiosam portam ad furta, & latrocinia, quibus fures possent ditescere cum maximo dispendio reipublicæ. D. Thom. ibid.

103. Ut autem furta minuta in magnam quantitatem coalescant, opus est, ut moraliter conjungantur; absque morali enim conjunctione unum totum constare, seu constituere nequeunt. Quantum vero temporis intervallum requiratur, ut

ut interrupta moraliter censeantur, varia sunt placita. Verosimilius putamus, quod spatium quindecim dierum plus minusve inter unum, & aliud furtulum in personis ad ea non assuetis, & absque advertentia ad anteriora, sufficere ad moralem interruptionem. Unde si famula furtulis non assueta hodie surripiat rem levem absque animo ulterius accipiendi, & post quindecim dies, occasione casu oblata, & sine advertentia prioris furtuli, accipiat aliam levitatem, quæ cum priori simul accepta efficeret gravem materiam, non est damnanda ad lethale: quia supposita ejus communi, ac regulari disperate, hæc duo furtula censentur disparata, tum ob desuetudinem famule ad illa; tum ob intervallum temporis sufficiens ad interrompendum actum voluntatis. Si enim Concina unum integrum diem putat sufficere ad interrompendos actus voluntatis circa omissionem restitutionis; cur quindecim dies non sufficiant ad eos jungendos circa furtula discontinuata? Corripendi vero, & ad restitutionem cogendi sunt famuli a Confessario, dum invenerit eos hoc modo furasse; ut sic ab hujusmodi furtulis absterreantur, & ne ad majora gradum faciant.

104. Inq. 2. An modica surripiens usque ad magnam quantitatem peccet graviter in ultima acceptione, vel solum in retentione? R. in ipsa acceptione peccat graviter; quia licet illa acceptio ex se sit levis, relata tamen ad anteriora fit gravis; Sicut in jejunio, qui post leves comestiones sumit quid parvum, quo notabilis quantitas completur, graviter peccat. Unde in omni opinione, qui post furtiola addit aliud, hoc tenetur restituere sub gravi, non alia ratione, nisi quia licet in se quid leve sit, tamen relatum ad priora grave constituit, ergo. Similiter de acceptione. Sicut in multis guttis cavantibus lapidem ultima est, quæ cavat in virtute præcedentium, ut de augmento caritatis per ejus actus ait D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 6. ad 2.

PUNCTUM IV.

Alia dubia de furtis minutis.

105. Inq. 1. An qui post furtum gra-

ve aliquid leve ab eodem surripit, peccet graviter? R. sub distinctione. Nam vel illud restituat, vel restituere proposuit, vel de illo poenitit, aut secus. Si primum, furtulum subsequens veniale est; quia est saltem moraliter diversum a furto priori. Si secundum, adest major difficultas. Nihilominus probabilius putamus novum furtiolum non esse grave peccatum, dum non fit animo prosequendi: alias qui furatus est unico actu mille aureos, si post aliquos dies casu surriperet unum assem, peccaret mortaliter, quod est durissimum. Igitur illud novum furtulum, nec ratione intentionis, nec ratione materiæ unitur moraliter cum præcedenti furto gravi, sed illo completo, incipit nova series furto- rum levium, quæ ex se grave non constituunt, quamdiu ad magnam quantitatem non perveniant. Ita expresse P. Concina lib. 9. in *Decal. diss. univ. de furt. cap. 4. n. 5.* ubi ait: *Post completum furtum grave, & interruptum, si iterum surripias rem exiguam, non peccas mortaliter, sed venialiter: quia nova furtulorum series incipit.* Licet oppositum adstruat paulo post ibi n. 16.

106. Inq. 2. An quando plures per furta minuta grave damnum inferunt uni, peccent graviter sub onere restituendi? R. 1. Quod si ex communi consensu se invicem hortantes, & excitantes conveniant ad damnum inferendum, omnes peccant graviter, ac singuli tenentur ad restitutionem insolidum; quia in hoc casu singuli quasi una manu concurrerunt se cohortando ad damnum, ergo omnes, & singuli peccant graviter, ac tenentur restituere insolidum. Unde si ex eadem vinea, aut viridario simul cum aliis unum alterum racemum, aut pomum accipias, gravi damno ex omnibus secuto, peccas graviter, ac restituere teneris totum damnum in defectu aliorum.

107. R. 2. Quod si unus, nec excitet alios, aut eorum damni conscius sit, sed casu unum botrum ex vinea aliena accipiat, & similiter alius, & alius, ita ut quantitas sic ablata notabilis consurgat, nullus eorum peccat graviter, nec sub gravi tenetur restituere: quia nemo in particulari est causa per se damni notabilis, sed singuli periode se habent, Mmmmm ac

ac si quilibet separatim modicam rem acciperet; quippe nec alium movet ad malum, nec scit ab aliis perpetratum esse. Contrarium est dicendum, quando plures scienter eodem concurrunt tempore, tunc quippe ad damnum grave conveniunt, ideoque graviter peccant; cavent enim simul scienter grave damnum.

108. R. 3. Quod surripiens modicum post aliorum furta magna, aut parva, licet alias furasse non ignoret, si illos non moveret, nec simul cum illis consentiat in malum notabile, nec graviter peccat, nec ad restituendum sub gravi adstringitur: quia ex una parte modicum tantum damnum intulit; alias non movet alios ad magnum, ergo non peccat graviter, nec gravi restitutioni obnoxius est; sola enim notitia non sufficit ad inducendam moralem conjunctionem cum aliis furtis. Alias cum sciamus a Rege plura levia, aut gravia furari, graviter peccaret ex ejus bonis, vel unum obolum accipiens, quod nemo jure dicere valet. Hanc sententiam, quidquid dicat Concina, noster, præter alios, perdoctus Casiliati tract. 9. cap. 5. §. 1. num. 6.

109. Objic. 1. qui post furtiola accipit quid leve, quo grave damnum conflatur, cooperatur ad notabile damnum, siud complendo, ergo est causa gravis damni, proindeque graviter peccat? R. illum cooperari, complereque damnum per quid modicum, quo per accidens respectu ejus consurgit damnum notabile: ad modum, quo aliis tibi minutim dantibus usque ad 99. alio postea dante unum, quo centum compleret, hic nec magnam quantitatem, aut utilitatem tibi conferret, nec esset causa totius doni, esto centum compleret.

110. Objic. 2. Omnes qui minutim damnum notabile inferunt, possunt compelli ad restituendum sub excommunicatione majori, ergo quia graviter peccant in levibus furtis. R. neg. consequentiam, quia excommunicatio tunc casus non imponitur ratione culpe, sed ratione damni emergentis, ad quod avertendum juste imponitur; ideo non obtemperantes illam incurrunt, non quia receperunt, aut retinent absolute, sed quia justo præcepto non obediunt. Si hoc argumen-

tum, cui nimis fidei Concina teneret, probaret non solum posteriores levia furtiva committentes in casu peccare graviter, sed etiam primi, vel priores; omnes quippe subjacent excommunicationi, ut ex se patet; sed hoc secundum a nullo asseritur, ergo nec primum debet asseri, nec tenet argumentum. Nec est novum præcipi sub gravi rem levem, quando graviter conducit ad finem Legislatoris.

PUNCTUM V.

De furtis domesticorum.

111. Inq. 1. An filii surripientes ex bonis paternis peccent graviter? R. quod si auferant notabilem quantitatem ex bonis, quorum dominium, vel usufructus residet penes parentes absque eorum licentia, aut consensu, peccant graviter. Patet ex cap. 28. Prov. Qui subtrahit aliquid a patre suo, & matre, & dicit, hoc non esse peccatum, participans homicida est. Ratio id ipsum suadet; quia accipiens notabilem quantitatem, invito domino, peccat graviter, & filii dum parentes vivunt, nullum dominium habent in bonis eorum, ergo si ex eis absque illorum consensu gravem quantitatem accipiant, peccant graviter.

112. Inq. 2. Quæ sit dicenda quantitas notabilis in furtis filiorum? R. non posse regulam generalem certo pro omnibus definiiri, sed esse metiendam juxta varias circumstantias, inspiciendo parentum indolem, ac divitias, filiorum numerum, domus expensas, finem acceptionis, & id genus similia. His accurate perpensis, poterit Confessariorum judicium efformare de furtis filiorum, ita ut nec facile damnet ad lethale, nec laxet habenas ad ea perpetranda. Omnes conveniunt in eo, quod major quantitas requiritur ad gravem culpam in furto filii divitis, quam pauperis: major etiam in quolibet furto filii, quam extranei, quidquid reuatur, & simul concedat quidam Neothericus. Nam semper ægrius fertur furtum extraneorum, quam domesticorum. Unde, si quatuor regales sunt materia gravis respectu extranei, saltem sex requiruntur respectu filii. Quando patri non

non displicet acceptio, nisi modus, solum est veniale, quia non est invitus quoad substantiam.

113. Supposita vero injusta acceptione materia gravis, tenentur filii patri eam restituere. Si autem non possint, debent illam postea in partitione cum aliis fratribus computare, nisi constet eisdem ex bonis paternis tantundem expensis, vel parentes condonasse ex his, quæ valent ex testamento relinquere. Excusantur filii a culpa, & restitutione, quando parentes, juxta conditionem status, non tribuunt eis necessaria ad victum, vestitum, & ad honestas recreationes. Aliqui addunt posse filios, qui negotia patris gerunt, accipere pro suo labore, & industria, quantum daretur extraneo, deductis expensis: verum hoc absolute admittendum non est, nisi ex vi alicujus pacti, quia sicut pater debet alere filios, ita isti adjuvare parentes in omnibus, quæ ad domus regimen, & incrementum spectant.

114. Parentes, qui, invitis filiis, de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, quorum dominium, & administrationem habent, aliquid notabile surripiunt, peccant graviter, ob generalem rationem, quia rem alienam invito domino capiunt. Similiter culpa gravis rei sunt parentes, qui rem familiarem dilapidant, aut prodige ludis, aliisve modis indebitis dissipant, sive omissione, negligentia, vel commissione.

115. Inq. 3. Quando peccent uxores accipiendo de bonis mariti? R. peccare graviter, & teneri restituere, quoties invitis maritis bona, quorum dominium, & administratio apud ipsos existit, in magna quantitate surripiunt; quia maritus privatur saltem administratione sibi pertinente. Verum major quantitas requiritur ad peccatum grave in furtis uxorum, quam extraneorum, ut diximus de furtis filiorum.

116. Objic. Tutor habet administrationem bonorum pupilli; & tamen pupillus surripies de bonis propriis non peccat graviter, nec tenetur restituere, ergo nec uxor. R. neg. consequ. quia tutor habet administrationem bonorum pupilli solum in commodum ipsius pupilli; at maritus habet generalem administrationem

in commodum proprium, cujus notabilis privatio injusta culpam gravem injustitiæ constituit.

117. Verum in septem casibus possunt uxores absque reatu culpæ, saltem gravis, quadam bona accipere. 1. dum maritus omittit subministrare necessaria ad familiæ sustentationem, & rectam educationem. 2. ad impediendum grave malum spirituale, aut temporale ejusdem viri, aut familiæ. 3. quando vir est amens, & uxor administratrix evadit. 4. quando prædenter viri consensus præsumitur. 5. ad faciendas elemosynas consuetas juxta conditionem sui status. 6. quando vir est dissipator, potest uxor clam accipere pro familiæ meliori regimine. 7. ad succurrendum extreme, vel graviter indigenti, præcipue suis, vel mariti fratribus, aut conjunctis.

118. Inq. 4. Quid sit dicendum de furtis famulorum? R. quod furta famulorum, quando fiunt de pecuniis, aut aliis rebus, etiam de esculentis extraordinariis, aut delicatioribus, sunt peccata gravia restitutioni obnoxia, si pertingant ad quantitatem gravem supra pro extraneis indicatam: nulla enim ratio famulos excusat ad talia surripienda. Furta vero eorum de esculentis, aut poculentis communibus, & ordinariis ad edendum, vel bibendum raro reputantur gravia, licet ad notabilem quantitatem sensim perveniant, nisi ad extraneos, seu ad vendendum accipiant. Nam domini non ignorant, attentam humanam fragilitate, vix posse alligari os bobæ trituran-ti. Semper increpari, quandoque etiam ad restituendum compelli debent famuli ob furta etiam minuta, he eis assuescant, aut ne ratione occasionis frequentioris ad majora perveniant. Aliqui hic annectunt disputationem de furtis religiosorum: sed de his opportunius agitur in tractatu de statu religioso: ubi tanquam in proprio loco videri valet, quid congruat paupertati religioso: justitia enim æque religiosus, ac ceteros adstringit.